


323. *Phys.*

III



680

DE
VISIONE ET INPRIMIS DE IDEIS,
QVAS PER EAM ANIMA
CONSEQVITVR
DISSERIT



AC
PRO CELEBRANDA
MEMORIA
HENRICIANA AC RIDELIANA
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
AD DIEM XI. FEBRVARII MDCCCLXXV.
DVAS ORATIONES



INDICIT
GEORGIVS HENRICVS BORTZ
ORD. PHIL. ANNI MDCCCLXXIII.
EX DECANVS

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

DE
VISIONE ET IMPRIMIS DE IDEIS
QVAE FER EAM ANIMA
CONSERVANTUR
DISSERTATIO



AC
PRO CEEBRANDA
MEMORIA

HENRICIANA AC RIDELLIANA
IN ACADEMIA PHILOSOPHICA

AD BIENNII FERRARIENSIS
DUAS ORATIONES
INDIT

GEORGIVS HENRICVS BORTZ
ORD. PHIL. ANNI CIRCULANTI
EXDENTIA

LIBRIS
EX OFFICINA LANGENHEIMIA



Licet non postrema praeteriti ac praesentis saeculi in eo sit posita gloria, quod viri eruditione clari abiectionis de emissionem radiorum lucis ex oculis eorumque a corporibus repercussione, de exuviis a rebus effluentibus ac in oculos penetrantibus reliquisque commentis, ex quibus visio olim declarabatur, vera eius principia constituerint: plurima tamen restant tot tantisque difficultatibus exposita, ut quisquis scripta optica euoluat ac expositiones vexatarum in ea quaestionum expendat toto coelo inter se discrepantes anceps haereat ac perplexus parumque absit, quin Alamberto V. Cl. assentiat, parum nos vel nihil adhuc in optices cognitione profecisse^{a)}. Etenim nihil dicam quam diuerse philosophi de natura luminis sentiant, cum alii cum Neutono illud constare ex particulis subtilissimis e corporibus lucidis emanantibus statuunt; alii cum Eulero illud per motum subtilissimae materiae, quam aethereum dicunt, undulatorium a corporibus lucidis excitatum, explicent; alii neutram harum opinionum omnibus

A 2

phae-

a) Alambert Opusc. math. T. I. memoir. 9.

IV

phaenomenis, quae in luce obseruantur, expediendis suffice-
 re certi sint.^{b)} Propius elementares opticae notiones concer-
 nunt difficultates, quae in exponenda visione directa, de
 hac enim sola in hac scriptiuncula agam, occurrunt, qua-
 rum ex scriptis Philosophorum, si opus esset, colligi magnus
 numerus posset; proferam tamen vnam alteramue. Propo-
 nas velim tibi quaestiones, cur res visas extra nos existere
 putemus, cum imagines earum intra nos existant; cur in
 erecto situ res videamus, cum earum picturae in oculis sint
 inuersae; vtrum caeteris paribus infantes aequae ac nos in his
 casibus videant; cur duobus oculis cernentes rem vnam
 tantum videant, cum duae sint in iis adumbrationes etc,
 comparatis Buffonii, Halleri, Roberti Smith, Grauesandii,
 Caillii, Musschenbrockii aliorumque inter se sententiis: mi-
 raberis alterum id pernegare, quod alter affirmat, alterum
 destruere ac negare, ex sola visione explicari posse, quod alter
 leuissima ratione declarat. Constitui itaque eius dissensus origi-
 nes eruere, rationesque, ex quibus quaeuis diuersimode senti-
 entium pars argumentatur, colligere, atque in aliquod syste-
 ma redigere, relicto cuius libero iudicio, quod eorum,
 ponderatis cuiusque argumentis, suo assensu dignum iudica-
 re velit.

Primum dicam de iis, in quibus omnes, qui de visione
 directa philosophantur, consentiunt, et quidem breuiter,
 quoniam eorum pleraque in quouis libro optico occurrunt.
 Consentiant omnes, lumen, quod necessario ad visionem re-
 quiritur esse vel directum vel reflexum, vel refractum; omnes
 easdem leges et reflexionis et refractionis constituunt. Lumen
 incurrens in corpus opacum in eodem plano reflectitur, vt
 angulus incidentiae par sit angulo reflexionis; refractione lu-
 minis

b) Lamberti Photometr. P. I. c. 1. §. 3.

minis contingit ex communi omnium sententia, si transeat ex medio densiori in rarius in eodem plano, et quidem a perpendicularo; et si ex rariori in densius ad perpendicularum, ita, ut ratio refractionis sit constans. Nullus deinde est dissensus inter opticos in exponendis oculi, sine quo nulla est visio, partibus, usque, quae singulae earum ad eam efficiendam praestant. Tribus cingitur bulbus oculi, ex omnium sententia, tunicis, prima earum parte postica durior, crassiorque, cingit ac munit oculum ac *sclerotica* dicitur, quae versus anteriorem partem gracilescens, fit tenuissima ac perlucida eaque parte antica *cornea* nuncupatur. Sub ea arteriis ac nervis interpositis se expandit *choroides*, quae ubi incipit cornea ab ea recedit versus interiora oculi, efformans *vueam*, membranam coloratam, relinquit foramen, cui pupillae nomen, per quam ingressus lumini in oculum patet, quaeque fibris circularibus, ut constringi dilatarique possit, est instructa. Tertia est expansio ipsa nervi optici in membranam tenerrimam ad formam retis contextam in sola parte posteriori cum choroide iuncta atque perlucida. Neque in humoribus, qui cavitates oculi replent, aliquis occurrit dissensus. Cameram inter corneam et superficiem anteriorem lentis crystallinae replet humor aquosus, cameram secundam, quae ipsa lente crystallina terminatur, replet humor crystallinus. Lentis crystallinae superficies sunt segmenta sphaerarum diuersorum radiorum. Tertia camera reliquis longe maior repletur humore vitreo, qui est rarior crystallino, ut crystallinus densior est humore aquoso. Vberiore oculi descriptionem cum eius dimensionibus omnibusque ac singulis musculis ad eum mouendum necessariis inuenies in Musschenbrockii introd. ad philos. nat. T. II. Tandem omnes, qui de visione philosophantur, in eo consentiunt, quod ea fiat, si a singulis punctis corporis lucidi, vel illud reflecten-

tis radii diuergentes transeundo per pupillam in humoribus nominatis refracti in vnicum punctum retinae congregantur, ac radii conuergentes ac se inuicem secantes effingunt ea ratione et singulorum partium et totius rei in retina imaginem, quae nulla alia arte nisi radiis in ea effingi possunt, cui certa lege, soli Deo cognita, respondet in anima idea.

Quum igitur in his omnibus, quibus visio absoluitur, consentiant philosophi et eorum, qui ab his diuersa sentiant, nulla habenda sit ratio, miraberis, qua ratione aliquis diffus inter hos exoriri possit. Aut totus fallor, aut eius ratio petenda est ex diuerso nexu ideae cum depicta imagine in retina, qui vario modo explicari potest. Constituit quidem Deus legem, vt imagini in retina respondeat idea, sed quae et qualis? Determinatane ex conditionibus imaginis in retina, et contra, imago in retina ex conditionibus ideae, ita, vt nexus inter ea sit naturalis, ac idea ex sola imagine retinae et imago in retina ex idea sit declaranda; an vero nexus inter ea sit arbitrarius, determinandus non ex qualitate imaginis in retina depictae, sed ex eo etiam, quod paullatim affuescimus iudicare, de obiectorum magnitudine, figura, distantia et situ ob aliorum etiam sensuum, tactus imprimis, experientiam imaginationisque legem, adeo, vt hunc nexum ideae cum imagine in retina arbitrarium per caeterorum sensuum usum et experientiam ad certas regulas reducamus. Fortasse necessarium erit, vt in hac re subtilissima antecedentia exemplo declarem. Quemlibet quotidiana experientia docet et quem nondum docuit, is quotidie id obseruare potest. Si quis in plano horizontali immotus stet, atque conspiciat hominem interuallo 120. pedum a se distantem, habebit et imaginem in retina depictam eamque sub angulo visorio, qui illius magnitudinem determinat. Accedat iste homo vt triplo sit propior, experientia docebit, eundem

E A

dem

dem non appariturum illi triplo maiorem, ut angulus visorius maior factus postulat. Accedat ad 60 pedes adhuc propius, non apparebit duplo maior. Audiamus iam philosophorum vulgaris huius phaenomeni explicationes. Qui naturalem nexum, ut vocavi, inter repraesentationem et imaginem in retina putant esse, eamque ex solo illo explicandam statuunt, ad eum finem ut quis in 120 pedum interuallo a nobis, aequalis videatur ei, qui triplo, duplo propius accessit, necesse est, ut angulus visorius sit constans, constans vero erit, quia pupilla latior euadere constringique possit, musculorumque etiam ope ab oculi fundo longius recedere propiusque accedere possit, atque ita imago, non obstante accessu hominis, continuo ideae conueniens reddatur ^{c)}. Caillius astronomus celeberrimus longe aliter de eo argumentatur, ut ex ipsis eius verbis infra positus patet ^{d)}. Eadem ratione de hoc similibusque phaenomenis plures Viri Clarissimi ratiocinia instruunt, attamen cum hoc discrimine, ut, quae Caillius ad certam distantiam restringit, in uniuersum asserant. Duo itaque visionem explicandi systemata constituo; primum, quod illam ex sola imagine in retina, cui idea in anima respondet, explicat, quodque innititur principiis, traditis §. 62. sq. elementor. latinor. Optic. Wolfii, idque dicemus vulgare et vetus; quod vero postremo loco indicauimus, recentius.


Ex

c) Vid. Comment. XII. de rebus ad scientiam naturalem pertinentibus autore Ioh. Bapt. Scarella, philosopho Brixienf. p. 21. praef.

d) Il y a une certaine portée ordinaire de notre vûe, qui est la distance, a la quelle nous avons coûtume de converser et de nous trouver dans le commerce de la vie. Lorsque des obiets sont à cette portée, il arrive, que quoique les dimensions de leurs images dans notre oeil changent prodigieusement, pour peu qu'on s'approche ou qu'on s'éloigne de ces obiets, nous ne nous appercevons pas qu'ils changent sensiblement de grosseur. Hors de cette portée cependant, nous voyons les obiets diminuer à mesure, que nous en éloignons et reciproquement. Lecons elementaires d'Optique p. 24.

Ex illis intellectis Caillii systema, utpote compositum, ex iis facile intelligetur.

Non immorabor explicando veteri illi systemati, cum illud praeterito et initio huius saeculi vnicum erat, in quo ornando omnes scriptores optici summas ingenii vires impenderunt. Et profecto si nexus imaginum in retina cum idea in anima, qui sola experientia et observationibus nititur, et sine demonstratione sumitur, non admodum dubius esset; si phaenomena visionis omnia ita in eo declararentur, ut nullae iis aduersarentur rationes ex eo ipso desumptae, omnium profecto simplicissimum ac ingeniosissimum esset. Quot vero, cum singula directae visionis phaenomena percurrere breuitas non permittat, et quam diuersissimi excogitati sunt modi resoluendis quaestionibus, cur inuersis in retina rerum imaginibus, ideae situs recti respondeant; cur duobus in oculis imaginibus vnica respondeat idea, quas tamen omnes reuertere videtur ex principiis eius desumptum ac ab Alamberto propositum dubium. Sic argumentatur Vir Clarissimus ex hoc diagrammate:



Sit

Sit in diagrammate QR cornea atque B eius centrum; CBZ axis opticus transiens per humorem aquosum, crystallinum, et vitreum humorem irrefractus; sit SB radius quivis extra axem opticum, efficiens cum eo angulum, ut in eiusmodi casibus fit, admodum exiguum, quia ut visionem efficiat, transire debet per pupillam, cuius diameter est admodum parva et longe minor diametro corneae. Transibit per humorem aquosum, quoniam is censetur eiusdem densitatis cum cornea, etiam irrefractus, sed incidens in primam crystallini humoris superficiem, cuius centrum ponitur in E , refringetur progrediendo ad perpendicularum, qua refractione facta perget versus O . Perueniens vero in ea directione ad alteram superficiem crystalli, centrum infra C concipiendum, (nam centrum superficiei illius, et perpendicularum ad punctum W , male a chalcographo expressum, sed demonstrationis seriem non turbat) ac pergens ex puncto W in vitreum humorem, frangetur cum ex medio densiore in rarius transeat, a perpendicularo, ita, ut iuxta directionem WIX sub angulo acuto incidat in retinam. Ut directio ac vis radii huius rite aestimetur, resoluenda est eius actio ex principiis mechanicis in perpendiculararem atque aliam lateralem, ut sit diagonalis parallelogrammi sub viribus; sed perpendicularis exponens directionem atque vim radii lucis, cum retina et fundus oculi sit segmentum sphaerae atque sectio eius in diagrammate circulus XZH , transibit per centrum eius, quod ponitur in K , itaque punctum S . cum agat iuxta XKY primo non in eo loco videtur in quo est; secundo quatenus res longe maior apparere debet, quam est; tertio radii, si in utroque oculo ducti concipiuntur, non erunt plerumque in eodem plano; res itaque simplex duplex apparebit; quae singula experientiae et systemati veteri contraria, Vberius haec et alia l.c. demonstrantur

B

ex

ex collectis ex Pediti, medici Parisiensis, mensuris oculi mediis atque rationibus refractionis, atque ad numeros reducuntur.^{e)}

Recentiori systemati praelusit Molyneuxius, Vir rerum mathematicarum peritissimus, proposita Lockio philosopho^{f)} celebri quaestione: vtrum caecus natus, qui tactu probe distinguere sphaeram a cubo didicerat, ea visu, si eum consequeretur, neque ei tactu vti permetteretur, discreturus esset? Vterque philosophorum grauissimis ex rationibus id negarunt; quod mirum videbitur ei, qui sine accuratiori quaestionis consideratione ex veteri illa theoria quaestionem diiudicat. Quare etiam factum est, vt Abbas celeberrimus Condillacius, Socius Academiae Berolinensis in libello, cui titulus: *Essai sur l'origine des connoissances humaines*, audacter pronunciauerit, multisque argumentis propugnauerit, illum caecum natum aut plane non visurum, aut sphaeram a cubo discreturum. Rationes vero Lockius ac Molyneuxius tam bene instruxerunt, vt eas experientia ipsa comprobata redderet. Etenim Cheseldenus, Londinensis Chyrurgus, occasionem naetus in caecis natis, de quorum aliquibus certo constabat, eos tam infelices natos fuisse, alii vero se nunquam vidisse affirmabant, obseruandi primas, postquam cataractas ipsis depresserat, ideas, quas visus animae ipsorum ingerebat. Quoniam omnes, quot a caecitate tali liberauerat, in iis, quae videbant, describendis consentiebant, tantum obseruationes in iuvene quatuordecim annorum, liberaliter educato, eximia rerum cognitione instructo, ab ortu certissime caeco, et in praesentia testium fide dignorum factas Transactionibus Anglicanis inseri curauit. Caeci eius generis, quod probe notat, possunt diem a nocte discernere, immo album, nigrum et rubrum in magna luce

e) Almbert Opusc. Math. T. I. memoir. 9.

f) In opere de intellectu human. L. II. c. 9.

luce distinguere. Cum videre coepit is iuuenis, vt potissima tantum notemus, obiecta videbantur externam oculi superficiem contingere, nullam percipiebat inter rem visam et inter se distantiam; quicquid videbat, ingentis ipsi magnitudinis apparebat; nullos per visum percipiebat rerum visarum limites, et quantumuis res diuersae formae ac magnitudinis essent, nullum tamen discrimen figurae et magnitudinis per visum assequeretur, adeo, vt non posset domum, in qua habitaret, musaeo suo, licet probe sciret, illud eius partem esse, maiorem visu incipere. Memorabilis harum obseruationum, quae vberius locis citatis, et in Roberti Smithii completo optices systemate ex versione Ill. Kaestneri p. 39. sq. describuntur praestantia ac veritas admodum attentos reddidit philosophos. Inter caeteros ipse Condillacus, qui antea praeiudiciis ac amore systematis abreptus rationes Lockii impugnauit, postea alio libello, cui titulus: *Traité des sensations*, Tom. II. Londini 1754. edito, in castra eius concessit, atque adeo ingeniose recentioris huius systematis rationes exposuit, vt nullus alius. Tomo primo fingit statuam, cui primum singulos sensus separatim, deinde ex iis duo, tum tres, quatuor demum, et tandem omnes quinque sensationes impertitur. In praefatione rogat quemque libelli lectorem, ne legens ex alio, quam quo statua ornata est sensu, nec e pluribus, quam quae ipsa statua percipit, concludat, atque ex iis connexis cum humanae cogitationis principiis ratiocinia instruat. Atque vndecim capitibus tomi primi conficit: omnes sensationes, excepto tactu, non nisi internas quasdam animi esse impressiones; animam non posse ex iisdem dignoscere, esse aliquid extra se, vnde illae profiscantur, et, quod mirum multis futurum esse, ipse praeuidet, oculum ipsum per se non idoneum esse videndi spatium extra se ipsum, nec cognoscere nisi lu-

men atque colores, animamque illas luminis atque colorum representationes non aliter ac modificationes, vt philosophi loquuntur, suas, diuersosque existendi modos considerare, eaque omnia cum obseruatis in coecis natis apprime conuenire, ipsam comparationem accuratius institutam euincere docet. Tomo secundo et quidem tertio capite luculenter ostendit, quomodo tandem statua ope tactus, inprimis comparatis inter se tactus ac visus perceptionibus multifariisque experientiis sensim sensimque ad cognitionem corporum extra se positorum, figurarum, magnitudinum, distantiarum perueniat, qui modus conuenit cum eo, quem Cheseldenus in coecis natis post receptum visum obseruaue-
rat.

Quamuis physicorum et mathematicorum nemo tam copiose huius systematis indolem declarandam sibi sumserit; attamen ex *Grauesandi*, *Roberti Smithii* et aliorum summorum virorum scriptis patet, eos cum aliis pluribus, cum rerum vsus eos edocuerit, quam facile sit errare in deducendis ex obseruationibus luminis atque visionis conclusionibus vt ne summus quidem in hac re *Neutonus* id, vt ex experiment. 8. prop. 3. Lib. I. part. II. Optic. patet, euitare potuerit: cum considerauerint, quantis difficultatibus vetus systema prematur, obseruationesque Cheseldenianas cum statu cuiuslibet hominis ex vtero materno prodeuntis apprime conuenire: non poterant non visionis theoriam huic systemati accommodare, ac visionem talem qualis in nobis adultis est, ex eo declarare, quod in subsidium aliis sensibus vocatis et inprimis praeceptore tactu demum nos corpora extra nos sita colligeremus, et comparatis inter se visionis et tactus phaenomenis figuras, magnitudines, situs non solum cognouerimus, sed et regulas nobis constituerimus dirigendi axes oculorum. Quoties noua nobis obuenit visio, rede-
unt

unt per legem imaginationis eo ipso momento illae regulae, quas in visione observamus. Momento ipso illo omnia in nobis fieri dicunt summi viri, quia adeo magnam facilitatem iudicandi in prima sensuum evolutione acquisivimus et quidem ea aetate ac tempore, cuius nullum in memoria vestigium relictum. Non aliter putamus, quam nos semper ita vidisse, ut adulti videmus, eamque videndi rationem non acquisitam multo usu caeterorum sensuum, sed ingenitam nobis esse, et primos aetatis annos esse veluti fabulosam poetarum aetatem, in qua Dii comminiscuntur homini eam cognitionem omnem infudisse, quam non meminit per se acquisivisse. Commendat praeterea hoc systema mira phaenomena visionis explicandi concinnitas, quae in veteri non potest esse, cum ea, quae aliunde determinantur ex solis imaginis in retina conditionibus deriuari nequeant. Transferam huc, ut exemplo rem illustrem, resolutionem maximae difficultatis ante memoratae ex Muffchenbrockio: ^g)

„Quare cum in utroque oculo obiecti pingitur imago,
 „mens tamen simplex duntaxat obiectum videt, velut vno
 „oculo? an hoc non pendet a multiplici experientia, qua
 „didicimus vnum modo esse obiectum, etiamsi in utroque
 „pingatur imago: et an non ideo in infantia plures sensus
 „simul inuocamus; praecipue visa gustando et ori immitten-
 „do obiecta, tum ea tangendo manibus, et vertendo in
 „omnem partem. Gustu et Tactu mentem docente simplex
 „esse obiectum, cuius imago in ambobus oculis pingitur,
 „mens pari modo in aliis occasionibus ab ambobus oculis
 „affecta, simplex iudicabit esse obiectum, praecipue si ner-
 „veae fibrillae in retina sibi respondentes afficiantur; et an
 „non simili modo tangere didicimus obiecta, et vtrum sim-
 „plicia, an multiplicia sint distinguere: cum alio et insueto

B 3

mo-

g) Introd. in Philos. natur. T. II. p. 764

„modo inflectentes cruciatim digitos et globum intercipientes, eum non simplicem, sed duplicem iudicamus? Vsu multa a mente corrigi vel disci patet, cum homo, cui oculus a colapho distortus erat, omnia viderit geminata, gradatim obiecta familiaria successu temporis incepit videre singularia, oculo manente aeque distorto. Simile quid in strabonibus locum habet. Ex hac observatione cadit sententia philosophorum, qui Briggiam sequuntur, nempe nervos in utroque homotonos et quosdam aequaliter tensos opinantium, ut mens eodem modo afficeretur, siue in vno siue in ambobus oculis simul imago pingeretur. Sed quoque tum non plura de obiecto detegeremus, vno vel duobus oculis simul vfi, velut tamen fit: praeterea mollissima Cerebri fabrica nullam tensionem admittit.“

Animus quidem erat, potiores, easque non levis momenti difficultates, quibus recentiorum optidorum systema premitur, et quarum aliquae a nonnullis ^{h)} iam publice prolatae sunt, exponere; sed chartae angustia cogor in his subsistere, atque id dicere, cuius gratia haec scripta sunt.

Indicendae sunt, fonticis ex causis huc usque dilatae, orationes, quibus

IOHANNIS DANIELIS AEGYDII ICTI,

A C

GEORGII RIDELII

A LOEWENSTEIN ET SEYFFERSDORF.

Virorum de republica, de ecclesiae, et de orbe litterario praeclare meritorum memoria celebranda, ab iis, qui
ab

h) Lettre sur les aveugles a l'usage de ceux, qui voyent. à Londres.
1749.

ab horum Virorum beneficentia profectis stipendiis ornati sunt. Amplissimus Philosophorum Ordo laetatur, *Henricianum* contulisse, eoque viam ad honores Doctoris philosophiae muniuisse Viro praecellentissimo

NATHANAELI GODOFREDO LESKE,
SOCIET. NATVR. CVRIOS. BEROL. ET APIARIAE
IN LVSAT. SVPER. SODAL.

qui breui tempore in instituenda iuuentute academica ita eminuit, vt Serenissimi Electoris Domini nostri clementissimi munificentia Professor hist. nat. in nostra academia designaretur, quam Professionem propediem aditurus est, et gratiam Optimi Principis publice celebraturus; hac vero occasione dicet *de conuenientia consensuque multiplicis naturae*.
Ornatissimus vero Iuuenis, quem Amplissimus huius ciuitatis senatus Rideliana pecunia iuuit,

IOHANNES GEORGIUS BERNDTIUS
ECKERSDOFFIO-SILESIVS.

fidem datam omnibus esse seruandam, ostendere conabitur.
Ad has orationes futuro die *undecimo Februarii* hora IX. beneuole audiendas, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, ET GENEROSISSIMOS, AC PRAENOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES, ea qua decet obseruantia inuitamus.

P. P. Lipsiae d. 5. Febr. *MDCCCLXXV.*



ab homin. virtutum beneficiis profectis stipendiis ornati
sunt. Amplius Philosophorum Ordo laetatur, Quia
non contulit, eoque vitam ad honores Doctoris philoso-
phiae munusculo Vno trascendunt.

NATHANIELI GODOFREDO LERKE

SOCIET. NATV. QVATOR. BEROL. ET ALIARV.
IN LVBAT. SVPER. SODAL.

qui per tempore in infirmitate laborante acerbissime
curatur, ut seipsum Regem Donatorem elegerit
infirmis, quibus hoc tempore posse acerbissime
ita, quam Profectionem profectum aditus est, et gratiam
Operis, et in publico celebravit; hoc vero occulto
ne hoc de communi tempore, et in infirmitate
Operis, et in publico celebravit, quod in infirmitate
ita, et in publico celebravit, quod in infirmitate

IOHANNES GEORGIVS BERNDTIVS

LECTOR. SODAL. SVPER.
Ad has ornationes, diebus, et in publico celebravit
nole audire, non ornati, et in publico celebravit
ILLVSTRISSIMOS. COMITES. VTRIVSQUE. REI.
PVBLICAE. PROGRESS. ET. GVNTHORST. MONT. AC.
FRANCOBVRG. SODAL. SVPER. CIVIS. CO. QVOR.
debet obsequium, in publico celebravit
P. P. Lipsiae d. 7. Febr. 1700. c. xxv.

